



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 97. Resciso priori testamento Carolus hæres scriptus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

**Sæcul. XVI.** tius æternæ salutis suæ negotiis minime  
A.C. 1516. deesse debuisset, de sanitate sua anxius  
 ex quadam Hispana muliercula, quæ  
 vulgo *Beata de Albucella* vocabatur, resi-  
 dum vitæ suæ cursum explorari jussit.  
 Hæc doctissimos etiam Viros decipere  
 solita, ex Regis confidentia magnam sibi  
 conciliari famam arbitrabatur, unde ve-  
 lut divino spiritu afflata eidem non mo-  
 do longævos vitæ dies, sed & uberrimos  
 victoriarum fructus præsagiebat. Aet  
 Dei providentia ementita *Beatae vatici-*  
*nia* pudore suffudit.

Ferdinandus enim Madrigalegio, quæ  
 domus erat prope castra Julia ad jucun-  
 ditatem constructa, reversurus, tam ve-  
 hementi morbi accessione opprimebatur,  
 ut Medici eidem haud dubitanter expo-  
 nerent, de ejus salute conclamatum esse.

### §. XCVII.

*Rescissio priori testamento Carolus  
 hæres scriptus.*

Ferdinandus accepto mortis nuncio te-  
 stamenti tabulas, quarum nuper me-  
 minimus, rescidit; Laurentius enim Ga-  
 liadez de Cervajalo Doctor, Zapata Li-  
 centiatus, Franciscus de Vargas ærarii  
 Præfectus, omnes tres Regii Senatus  
 præcipui viri prius, quod Rex considerat,  
 testamentum tam validis impugnabant  
 argu-

argumentis, ut Ferdinandus eorum con- Sæcul. XVI.  
siliis acquiescens, illius auctographum <sup>A. C. 1516.</sup>  
coram se comburi juberet: quamvis e-  
nim Ferdinandum Infantem in paucis  
carum haberet, affectus tamen teneritu-  
dinem superabat ampla Monarchiæ uni-  
versalis spes, quam prior ipse concepit,  
ac primis testamenti sui tabulis omnino <sup>Marian. I. 30</sup>  
præpediri intellexit, quapropter Carolo <sup>n. 134.</sup>  
Archiduci favere intentus, eundem Ca-  
stellæ atque Arragoniæ, omniumque  
regnorum eidem aggregatorum hæredem  
scripsit; Ximenium vero Cardinalem,  
quamvis eidem semper infensus esset,  
Rege mortuo, ac quamdiu Joanna Regi-  
na ejus Filia, quæ vulgo *Demens* appel-  
labatur, vita superstes esset, Castellæ re-  
bus præfecit. Eriguntur ergo supremæ hu-  
jus voluntatis tabulæ, ac Ferdinando  
juniori omnis regnum affectandi oppor-  
tunitas præscinditur, ea tamen lege, ut  
illi annua quinquaginta aureorum millia  
ex remotioris Provinciæ Regiis vestiga-  
libus darentur. Evidem Rex eidem  
tres supremos Ordinum Magistratus re-  
linquere meditabatur, obstat tamen il-  
lius consiliarii, hos redditus nullatenus a  
Corona avellendos esse tanto verborum  
pondere exponentes, ut Rex eorum ra-  
tionibus omnino cederet.